

ginta habent, multa lætitia tua, Chald. sonitus laudis musicæ tuæ) subter te æternetur tineam, etc. q. d. tua gloria, tuæ epulæ et convivia, o Balthasar, in quibus musica te recreabas, defecerunt, et ad inferos detracta sunt, ut ibi exponit Cornelius. Sed cur addit propheta tineam mortuo substernendam? Utique quia tineam vestem continuo rodit, tametsi occulte: ita vermis conscientie sine intermissione, tametsi in corde solum, damnatos corrodit et arguit. Cur, o stolidissime, animam tuam tam pretiosam, cælo natam et unicam tam vili pretio (pro argento, epulis, vana gloria, momentanea carnis voluptate) dæmoni vendidisti, et inferno mancipasti, nunquam redimendam? Poteras iis bene uti, et cælum lucrari: sed gehennam potius mercari voluisti. Quin jam tibi comparasti? Nihil, nihil, omnia perdidisti. Magna Jobo afflictio esse debuit, quando nuntius (quem Sanctus Chrys. hom. I. de pat. Jobi, diabolus fuisse existimat) super nuntium venit, et clades acceptas ei nuntiavit, modo abductos boves et asinos, modo tactas fulmine oves, modo camelos abactos, modo liberos in convivio ruina oppressos. Potuit tamen Job sese consolari spe honorum celestium, quin et terrenorum sibi forte restituendorum. At vero damnati et talibus continuo opprimuntur nuntius, et interim nihil habent quod sperare possint. Solus iste nuntius incolumis evadit, sublatis omnibus aliis, ut clades illatas eis denuntiet et perpetuo ingeminet. Non longe a regia civitate Holmensi in Suecia locus est, quatuor dentium mons appellatus, eo quod rex Daniæ Christianus I. infeliciter pugnans, quatuor dentes ictu bombardæ illic amiserit. Refert Olaus, l. VII. c. XV. Locus hic in memoriam reflicavit regi infelicem pugnam, et amissos in ea dentes. Petra etiam *jectehel* seu *stridor dentium* in memoriam revocavit miseris damnatis infelicem cladem, quam in mundo passi sunt, et amissos dentes, quibus dulcia vina et lautas epulas olim hauriebant, et jucunda colloquia cum amicis miscebant: sed heu quanto eorum dolore!

IV. Perpetuam maledictionem, qua in se mutuo deservient et ringentur velut canes, qui causam damnationis alteri dederunt: vel etiam dum in vivis essent, se invicem oderunt. Ita enim de damnatis, Ps. LVIII. ubi vulgata legit: *Famem patientur ut canes*, Hebraice habetur, *tu multuabuntur ut canes*; unde S. Hieron. vertit: *Latrent ut canes*. Id vero de inferis intelligit Nysenus, ut suprad. nec immerito, si enim nunc multoties audimus maledicere filios parentibus, quod ab ipsis neglecti vel male educati, vel damnatis natalibus per incestum aut fornicationem procreati sunt, indeque in scelera, con-

temptum, paupertatem, et quandoque in manus carnificis inciderint: quid facient in inferno, quando se per illorum consilia, instructiones, prava exempla ad extremam et æternam calamitatem detrusos videbunt? Ita esse luculenter imprimis confirmavit mulier illa, quam testatur in suis revelationibus, lib. VI. cap. LII. a se conspectam esse, sanctitate celebris illa Birgitta, velut e caliginoso lacu prodeuntem luridi vultus umbram, sine corde, horride truncam labiis, exeso miserabiliter naso, oculis in genas prolixè propendentibus, exedentibus funestis pectus vermibus, de filia superstitè, tamquam si coram adesset, miserandum in modum conquerentem! « Eheu filia, non filia, sed lacerta veneno fetidissima! Miseram me, quæ te genui miseram, quæ te exemplo meo peccare docui! Quoties enim pessimos meos imitata mores etiamnum peccas, toties hæc inferni, quæ propter te patior, tormenta novis auctibus recrudescunt. » Confirmat idipsum quod scribit Dionysius Carthus. lib. de quatuor novissimis, art. XLII. Vidit enim quispiam, angelo bono duce, miserandum spectaculum: patrem filio, et hunc patri in mediis ignibus acerbissime identidem oclamantem: « Maledicte fili, quo me miseriarum adduxisti, justis injustisque artibus utentem, ut te multarum opum haberem successorem! » E contra filius: « Quinimo huc me, huc me tua indulgentia, huc tui nimius amor ab religiosæ vitæ desiderio abstractum præcipitavit, detestande pater. » Quis dubitet etiam illos, qui in continuo odio et inimicitia vixerunt, neque reconciliati obierunt, se mutuo in inferno cum stridore dentium, cum latratibus et morsibus, velut rabidi solent canes, invasuros ac dilaniaturos? Comprobatur id exemplo, quod scribit Cæsarius, lib. XI. miracul. cap. LVI. de duobus rusticis sibi mutuo infensus, in Coloniensi episcopatu mortuis, eodemque sepulcro tumulatis, qui in ipso tumulo, capitibus, calcibus et dorsis inter se collis acerrime pugnarunt, ita ut alter ejici debuerit. Frequentissima sunt fraterna odia, et quidem acerrima atque implacabilia, fere propter hæreditaria bona male divisa; et his odiis fratres sæpe immoriuntur. Quid hi agent in inferno? Nonne velut canes os unum rodentes in se invicem dentes exerent, frement et ringentur? Quo videtur spectare, quod Oseas, cap. XIII. de inferno ait: *Ipse inter fratres dividet*. Quomodo vero dividet? Ut velut divisæ duæ acies inter se concurrant, et in se invicem arient, ne ullo unquam tempore in unum conveniant, juxta id Psal. LIV. *Divisi sunt ab ira vultus tui*.

V. Sempiternum opprobrium, in pœnam ca-

chinnorum et stridoris dentium, quo in vivis existentes exceperet et derisere sanctos; uti fatentur ipsi Sap. V. dicentes: *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, etc.* Risus et derisio dentibus ascribitur, uti Eccles. cap. XIX. § XXVII. *Risus dentium, etc.* Ergo risus dentium, quo sanctos deriserunt improbi, juste quasi lege talionis castigatur dentium stridore; ut veluti ridiculi perpetuo rideantur, juxta id Proverbior. III. *Ipse deludet illusores*: Hebraice dicitur: *Deridebit derisores*. Matthiæ Corvini, Hungariæ regis tonsor regi pergratus, Aragonio cardinali legato, uxoris ejus fratri, posteriores vestium partes per jocum mutilaverat; causamque ejus facti rogatus exprimere, ridens regi fassus est. Itaque rex ei nasum et labia desecuit in pœnam, ut qui in maleficio ridebat, semper exertis dentibus, etiam cum fleret, ridere videretur, Fulgent. lib. VI. c. III. Quidni etiam improbi, qui justos hic derident, et derisui exponunt, ita puniantur in gehenna, et exertis dentibus, et diducto ore stridentes, semper ridere aut cachinnari videantur? *Qui enim spernis, nonne et ipse sperneris?* Isai. XXXIII. *Vestimenta lineas generant, et tigna vermes: interim per eosdem et ligna corrumpuntur et vestes: sic fiet justo Dei judicio, ut qui derisiones alios læsuri, quasi vermem e corde suo progesserunt, per eandem et ipsi æternum rideantur.* Unde Isaiæ LI. dicitur: *Nolite timere opprobrium hominum* (hoc est, irrisionem) *et blasphemias eorum ne metuat. Sicut enim vestimentum* (supple, ex se generat tineam, quæ id corrodat et absumat) *sic comedat eos vermis: et sicut lanam, sic devorabit eos tineam.*

CONCIO V.

VANE GLORIÆ DAMNA.

I. Vana gloria destruit opus bonum. — II. Perdit mercedem operis, vel cum levissima commutat. — III. Confusionem metit pro gloria. — IV. Meretur iram Dei.

THEMA.

Vide nemini dixeris. Matth. VIII.

Salvator noster cum in ultima cœna discipulis valedicens pacem dedisset, subjunxit: *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*, Joan. XIV. Mundus enim dat, ut pro dono suo aliud recipiat, sive id sit argentum, sive honor, sive delicie, sive aliud quidpiam. Exempli causa: Chirurgus aliquis circumforaneus exemit alicui calculum, et sanavit

eum; an hoc gratis fecit? Minime gentium. Præter argentum copiosum, calculum depingi curat, et in publicis nundinis imaginem ejus ostentat, ut sanati hominis aspectu, læra ampliora faciat. Ita mundus dat, sed non ita Christus. Contulit is sanitatem homini leproso (qualem nemo facile medicus sanare novit) et quid ab eo pretii accepit? Nihil omnino, adeo ut nec sciri id voluerit, ac si quid ab eo mercedis loco petiit, hoc unum petiit: *Vide nemini dixeris*, idque adeo serio ipsi commendavit, ut S. Marcus dicat, ipsi comminatum esse, hoc est, severo et minaci vultu mandasse. Sed cur ipse dat hoc modo, et non quomodo mundus, medici et chirurgi dant? Cur pro tanto beneficio vel imaginem non exigit hominis sanati, quam publice proponat? An forsitan hoc fuisset beneficium destruere? Mercedem evacuare? Minus pro majori accipere? Confusionem metere? Verbera accersere? Ita omnino; hoc et nihil aliud fecisset, si vanam gloriam exegisset, vel etiam acceptasset: uti nunc ostendemus.

I. Vana gloria destruit opus bonum. Agar videns se concepisse, adeoque intuens intumescens uterum suum statim incipit despiciere dominam suam, et quid tandem genuit? Ismaelem, ferum hominem: *Manus ejus contra omnes, et manus omnium contra ipsum*, Gen. XVI. Ita si oculus tuus aspiciat opera tua, inolescere incipies, et paries vanam gloriam, virtutum omnium hostem et interfetricem. Alia enim vitia singula, singularum virtutum hostes sunt, vana gloria est omnium hostis communis, omnes enervans. Aspexit Phariseus ille in templo orans, opera sua: *Jejuno bis in sabbato, etc.* atque hoc aspectu omnia destruxit, et vacuus domum rediit, qui onustus bonis operibus ascenderat in templum, Luc. XVIII. Idem accidisse Samsoni vult S. Ambr. ep. LXX. Is enim post inauditam victoriam, et stragem mille virorum, sibi applaudens dixit: *In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum delevi eos, et percussi mille viros*. Cumque hæc verba canens complexset, projecit mandibulam de manu, et vocavit nomen loci illius *Ramatblechi*, quod interpretatur, *Elevatio maxillæ*; sed continuo æstuarè siti cœpit, atque: *En siti morior, incidamque in manus incircumcisorum*, Judic. XV. Et quidem veritatem sibi ipsi vaticinatus est; postea enim miser a Philisthæis captus et exoculatus est. Et cur exoculatus? An quia oculo vanæ gloriæ aspexit victoriam suam et suum *Ramatblechi*? Quare senior ille Tobias bene et caute filium suum monuit, cap. IV. § VII. *Ex substantia fac eleemosynam et* (ut addunt Septuaginta interpretes) *non videat oculus tuus in faciendo eleemosynam*. Quod optime concordat cum illo, quod ait Dominus,

Matth. VI. *Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*, hoc est : Tu ipse, quoad fieri potest, nescias, nullaque ratione inspicias; quia : « Quo vana gloria intrat, omnia quæ intus sunt, insensibiliter aufert, (ait S. Chrysostomus.) Sed quomodo, inquis, (ait idem homil. III. in Mathæum,) possumus ignorare, quod novimus? Quid ais tu, cum quotidie offendas Dominum, nihilominus delicias, rides, nec te peccasse nosti, oblivioni cuncta tradendo, solam vero non potes recte factorum abjicere memoriam? » Neque solum proprius oculus, sed alienus etiam destruit opera bona, si ipsi videnda exponantur; non secus ac basilisci oculos, qui aspectu solo venenum afflare dicitur, ita ut occidat, teste Plinio, lib. VIII. cap. XXI. et libro XXIX. cap. IV. Quod S. Bernardus, in Psalmo XC. § XIII. accommodat illis Christi verbis Matth. VI. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*. Ita enim videri est videri a basilisco, et occidi. Putatisne frustra præcepisse Deum, Deut. XV. *Non tondebis primogenitum ovium?* Non certe, sed voluit ad litteram quidem primogenita ovium offerri sacerdoti una cum lana : sensu tamen tropologico, primario intento, voluit, ne opera nostra, perfecta præsertim, denudaremus; alioquin peritura, si ea ostentemus. Ita S. Gregor. VIII. moral. cap. XXXIV. « Ovium primogenita tondere, est occultationis suæ tegmine humanis oculis inchoantia opera bona denudare. Quo ergo vita nostra simplex quid atque innocuum inchoat, dignum est, ut secreti sui velamina non relinquat, ne nudum hoc humanis oculis quasi subducto vellere ostendat. » Quæ causa etiam est, quod Dominus consuluerit in secreto orandum, Matth. VI. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum in abscondito*. Causam enim dat Bernardus, serm. LXVIII. in Cant. *Ne coram orationibus, inquit, laus humanæ orationis furetur fructum, frustretur effectum*.

II. Perdit mercedem suam, vel ad summum cum vilissima commutat. Quod testatur ipse Dominus, Matth. VI. § II. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam*. In quæ verba S. Hieron. *At non Dei mercedem, ait, sed suam receperunt, qui laudati sunt ab hominibus quorum causa exercuere virtutes*. Plumbeam ergo mercedem pro aurea accipiunt : siliquis porcorum ventrem suum implent, non expectato regio convivio; quod eleganter S. Chrysostomus, homil. XXXVI. ad popul. exponit his verbis : « Sicut gulosi et honestatis expertes ad regale convivium vocati, nec congruam horam expectantes, parvulorum infantium more suam corrumpunt lætitiâ prævenientes, et vilioribus seipsos cibis saturantes :

ita et hi mercedem hic acquirentes et acceptantes, futuram diminuunt. » Idem alia similitudine declarat Isidorus clarius, orat. CV. tomo II. « Fingite quempiam vestrum esse, cui regnum Italiæ totius hodie offeratur decennis possidendum, qui tamen si per hosce decennis possidendum, qui tamen si per hosce decennis privatam agere vitam velit, futurum ut post quinquaginta justos annos totius Europæ imperio potiatur, non censetis, hunc, conditionem istam lubentissime accepturum, facileque atque adeo summa cum lætitiâ toleraturum, toto illo decennio, vitam agere privatissimam atque humillimam; et tamen illud quod speraret; quinquaginta annorum spatium nostis, quam veloci cursu esset finiendum. Quod si in re momentanea tam sumus circumspicere, car non vel par studium adhibemus, ad adipiscendam æternitatem, et hanc totam vitam, quæ ne momentum quidem est, si cum illa conferetur : inglori libenter vivimus, ut incomprehensa illa ac infinita gloria tandem perfruamur? » Stultum jure dixeris illum architectum, qui pro duarum insignium columnarum erectione in foro S. Marci Venetiis, non aliam petiit mercedem, quam ut lusoribus quibuscumque fieret libertas sub ea ludendi quocumque modo, ut refert Munsterus, fol. CCLXIII. quasi hujus rei memoria et monumentum pro mercede ei satis esset. Nihil plus sapuit Wenceslaus imp. VI. ignavus dictus, qui Norimbergensibus pro lytro redemptionis, juramento, viginti millia aureorum offerentibus, petiit solum quatuor currus vino onustos, homo scilicet vinosus, aliud nihil curans, Æneas Sylvius, l. II. in Panorm. Longe amentiores sunt, qui pro immensa, quam Deus illis offert, gloria in cælo, humanam et evanidam accipiunt in terra. Quid enim vilius gloria ista? « Nam idecirco, inquit D. Chrysostomus, hom. XXII. in Gen. vana dicitur, quia evanida est, et nihil habet stabile neque firmum : sed solum est oculorum deceptio, et priusquam apparet, avolat. » Et homil. XXXIV. ad pop. « Dic mihi, ait, si parvorum videas puerorum multitudinem, lactentium dico, numquid ab eis gloriam concupisces? Sic erga cunctos homines disponaris propter gloriam. Idecirco cenodoxia (vacua seu vana gloria) dicitur. Nonne vides personas, quas in scena versantes, induunt, quam sint pulchræ quidem, quam vero splendide, quam ad extremam pulchritudinis perfectionem effictæ? Potes mihi talem aspectum in veritate monstrare? Nequaquam. Numquid unquam earum amore captus es? Non. Quare? Quia vacuæ sunt, et imitantur pulchritudinem, pulchritudo tamen non sunt. » Diximus paulo ante non tondenda ovium primogenita : addo nunc oves

quaslibet in hieme non tondendas, sed in æstate uti etiam fit. Qui enim in hieme eas lana spoliaret, et parum lanæ acciperet, et simul oves perderet. Unde Stephanus Cantuariensis, in illum Deuter. XV. locum : « Oves, inquit, non tondentur in hieme, sed in æstate, ne asperitate hiemis opprimantur. Hiems est vita præsens, ætas vero futura. Oves in hieme tondet, qui causa inanis gloriæ opera sua ostentat; in æstate vero, qui pro vita æterna laborat. » Noluit in hieme oves suas tondere S. Hilarion abbas, qui ob frequentia miracula, sanitatis præsertim restitutæ male habentibus, ubique celebris factus, et a populo requisitus, undique profugit de eremo in eremum, de regione in regionem, flebatque suam religionem periculo vanæ gloriæ expositam, dicens : « Rursum ad sæculum redii, et recepi mercedem meam in hac vita. En homines Palestinæ et vicinæ provinciæ existimant me alicujus esse momenti, et ego sub prætextu monasterii ad dispensationem fratrum, vilem suppellectilem habeo, » S. Hieron. in vita.

III. Confusionem et ignominiam pro gloria meretur et accipit. Finis quidem inanis gloriæ est manifestatio propriæ excellentiæ, ut ait S. Thomas, II. II. quæst. CXXXII. art. V. sed nihil minus assequitur gloriæ venator; nam irrisionem potius sortitur et contemptum, velut homo vanus. « Quoniam enim tui amici, (inquit D. Chrysost. homil. IV. in c. I. Matth.) qui te glorificare certatim student, clarumque te monstrare, propter hoc te ipsam rursus irident, quod gloriam ab ipsis requiras : quo modo non tibi in contrarium hujusmodi studia vertuntur? » Et homil. LXIII. « Quoniam ridiculosi sunt, dic quæso : Nonne qui omnia faciunt, ut multitudinis auram adipiscantur? » Et homil. LXXII. in eundem Matth. « Tu quidem maxime cupis, ut te admirans, ille misericors, ille humanus, ille benignus dicat; ipse autem istud non dicit : sed ille inanis gloriæ cupidus, prædicabit; ille, qui omnibus quovis modo hominibus placere studet, cæteraque his deteriora. » Et homil. XXII. ad popul. « Si vanæ servies gloriæ, propter hoc ipsum eris ignobilior; ipsi enim te glorificantes per hoc ipsum te ridebunt, quoniam ab eis gloriam aucuparis. Quid igitur rem attrahis, ex qua tibi contrarium proveniet; si vis ergo glorificari, gloriam contemne, et eris clarissimus. » Denique, homil. XVII. epist. ad Romanos : « Quemadmodum pueri ludentes, ait, ex fœno coronas invicem imponunt, coronatum autem sæpenumero ejus rei ignarum, post tergum irident : ita sane et nunc qui te in faciem prædicant, apud seipsos clanculum subsannant, atque ita quid aliud fit,

quam quod et nobis invicem fœnum coronantes imponimus? Et utinam nihil aliud quam fœnum! » Contigit hoc imprimis clarissimo illi oratori, Demostheni, quem, licet in Græca eloquentia primas tulerit, Cicero tamen, lib. V. Tuscul. leviculum appellavit, quod illo susurro delectari se diceret, aquam ferentis mulierculæ, insusurrantisque alteri : *Hic est ille Demosthenes*. Antisthenem philosophum videns aliquando Socrates media hieme, pallio et vestibus discissis in platea frigoribus rigente ad popularem auram captandam, obambulantem, sic eum false affatus est : *Per scissuram pallii tui inanitatem tuam video*, Laertius. Notatus etiam ac de ridiculo fuit Actius poeta, qui cum brevis admodum stature esset, maximam forma statuam in Camænarum aede sibi posuit, apud Plinium, l. XXXIV. c. V. Quod et aliis contigit, qui cum exigui sint, magni haberi affectant. Magnus quidem ac rursus rex coram mundo erat Nabuchodonosor, sed tamen judicio suo, stulto et perverso, longe sibi major visus, erexit sibi statuam sexaginta cubitorum, in qua velut deus coleretur, et ab omnibus adoraretur. Verum a tribus pueris spretus, et nequaquam adoratus est. « Nunc vero id ipsum (ait S. Chrysost. hom. IV. in Matt. hominem gloriæ cupidum alloquens) poteris omnino, quod Nabuchodonosor legimus pertulisse. Nam ille statuam quondam erexit, a ligno et mortua corporis imagine magnam scilicet famam aucupaturus, ac vivus a re non viva claritatem mutuaturus. O ingentem insaniam, quo se honorare est visus, deridentem præbuit! Nam qui re mortua nixus, magis quam seipso et mentis suæ viribus, lignum supra se dignatur, qui non sit ille (obsecro) risu maxime dignus, non a moribus, sed a tabulis et asscribus commendari volens? Ut si aliquis de magnitudine ac pulchritudine domus, de scalis potius gradibusque marmoreis se esse honorabiliorem putet, quam qui homo genitus, et rationis nobilitate donatus est. Hunc itaque plurimi etiam inveniuntur nunc imitari. Ut enim ille tunc de imagine aurea, sic modo alii de veste pretiosa, de equis alii vel curribus, de amplitudine columnarum, quæ sunt in ædibus et picturis parietum, opinantur se esse meliores. Quia enim quod erant homines, perdidit, sollicitè huc illucque circumeunt, aliunde sibi gloriam colligentes omni sane irrisione dignissimam. »

IV. Meretur iram Dei, ut quæ gloriam ipsi soli debitam, velut primario auctori et fonti bonorum operum, sibi imprudenter arrogat, quod non minus est quam regi coronam detrahere, et sibi imponere. Qua de re Oseas, cap. VIII. sic loquitur : *Ventum seminabunt, et turbinem metent*.

Ventum seminant, qui vanam gloriam sectantur (quid enim ea nisi ventus levis afflans hominem?) et hi turbinem metent, de quo Jerem. XXIII. dicitur: *Ecce turbo indignationis Dominicæ ingreditur, et tempestas erumpens super caput impiorum venit*: et Isa. XXVIII. *Væ coronæ superbiæ, sbris Ephraim, et flori decidenti gloriæ exultationis ejus, etc.* Samariam intelligit, metropolim Ephraim superbientem in munitione et corona mœnium suorum, in modum coronæ structorum, et montium circumjacentium. Et quid ei vaticinatur? *Ecce validus et fortis Dominus, sicut impetus grandinis: turbo confringens, etc. pedibus conculebitur corona superbiæ.* Quod factum, quando Salmanazar venit in Samariam, et abduxit inde decem tribus, seu Ephraim in captivitatem: eo quod debemus Deo, est ejus gloria, quam alteri non dabit, Isa. XLII. In tales ergo, qui gloriam ipsi debitam surripere conantur, turbinem indignationis suæ immittet, uti sensit imprimis superba illa Samaria; deinde fastuosus etiam ille Nabuchodonosor, qui et ipse ob amplissimam et munitissimam suam civitatem Babylon insolescens, cum in Dei contemptum prorumperet, dicens: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, etc.* repente etiam sensit turbinem indignationis Dominicæ. Statim enim: *Vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex: regnum tuum transibit a te,* Dan. IV. Quod ita factum est, ut velut amens e regno ad bestias in silvas ejectus, septennio aberraret, velut jos fenum comedens. Sic nimirum Deus, superbos humiliare aovit, et de solio deponero.

Tremendum etiam jure merito semper habitum est supplicium et repentinum Dei fulmen, quo plexus est Ananias cum uxore, Act. V. Sed quæ ejus supplicii causa fuit? Agnoscit in professione et voto ejus vanæ gloriæ admixtionem S. Hier. ep. CL. ad Hedibiam, et S. Basilius serm. de instit. monachorum. « Licebat initio, inquit Basilius, Ananiæ possessiunculam suam Deo non polliceri ac vovere: sed postquam humanæ gloriæ cupiditate inductus, quidquid in bonis habebat, per professionem Deo consecravit, quo videlicet egregio istiusmodi facto hominum de se admirationem excitaret, de pretio autem, calide postea nescio quid interverterit, ejusmodi adversum se indignationem Dei provocavit, ejus Petrus minister fuit, ut ne ad pœnitentiam aditum invenire potuerit. » Jam vero scimus ad vocem illam Petri: *Non es mentitus hominibus, sed Deo,* veluti ad fulmen, illico corruisse et expirasse Ananiam primo, deinde uxorem ejus. Quis hic non cohorrescat? Tanti nimirum est gloriam Deo debitam sibi arrogare, quanti æstimatur apud homines, coronam regi detrahere et sibi imponere, et quidem tanto plus quanto major est Rex cœli et terræ morituris terræ regulis.

His ergo tantis vanæ gloriæ damnis perspectis, quis jam pro bono opere tam vile, imo tam perniciosum pretium, non dico exigere, sed etiam oblatum audeat accipere? Absit, absit procul a nobis merces tam damnabilis: et dicamus potius cum magistro et Domino nostro, quotiescumque boni alteri præstiterimus: *Videtur nemini dixeris.*

DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM.

EVANGELIUM. MATTH. VIII.

In illo tempore: Ascendente Jesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus. Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens, imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?

CONCIONES.

- I. Tentationum commoda et causæ.
- II. Concupiscentiæ motibus quomodo obviandum.
- III. Duodecim Ecclesiæ persecutiones sub gentilibus.
- IV. Quid faciendum tempore afflictionis, præsertim famis.
- V. Emolumenta voluntatis humanæ ad divinam conformata.
- VI. Discrimen bonæ et malæ conscientiæ.
- VII. De humanæ vitæ miseriis.
- VIII. Documenta.
- IX. Mystera.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Qua ratione, et quando Christus obdormiat nobis.
- II. Causa tempestatis, quia Christus male habetur a quam multis.
- III. Cur Ecclesiam suam Christus tot tempestatibus fatiget.
- IV. Tria asyla seu refugia afflictorum.
- V. Solatia animarum purgatorii.
- VI. Quid agendum in tribulatione.

CONCIO I.

TENTATIONUM COMMODA ET CAUSÆ.

- I. Nostra humiliatio. — II. Cognitio sui ipsius. — III. Stimulus ad virtutem. — IV. Gloria Dei. — V. Justorum exercitium. — VI. Gloriosior ereptio. — VII. Majus in cælo præmium.

THEMA.

Ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Matth. VIII.

Quid hoc rei, audires? Christus Dominus noster præcepit nos orare: *Et ne nos inducas in tentationem,* et quid ipse in hoc evangelio? Nonne in tempestatem adeoque in tentationem et periculum vitæ induxit suos discipulos, dum ascendens in naviculam secum duxit, dumque maris commotionem exurgere permisit? Sed sciendum nobis est, aliud esse tentationem pati, aliud tentatione vinci. Prius non deprecamur in oratione Dominica, (quis enim nisi ignavus miles rogare

ducem auderet, utinam prælium non duceretur? Quis nauta, ne navigare cogere?) posterius deprecamur, ne videlicet a Deo inducamur, seu potius induci permittamur in ejusmodi tentationem, in qua prævidet nos vincendos. Porro hæc tempestas ejusmodi erat, ut facili negotio superari a discipulis posset. Sed quamobrem, roget aliquis, permittit Deus excitari tentationum fluctus et nos in eos induci? Audiamus causas, simulque utilitas talium tentationum.

I. Nostra humiliatio. Tentatio libramentum est justorum et saburra quasi navim justo arenæ pondere margens, ne vel ab undis superetur, vel nimium eas superet, undeque a ventis abripiatur et evertatur. Audiamus S. Gregor. lib. XIX. moral. cap. VI. « Optima, ait, virtutis custos est infirmitas vel pressurarum vel tentationum: et sit certo moderamine, ut dum quisque sanctorum jam quidem interius ad summa rapitur, sed adhuc tentatur exterius, nec desperationis lapsum, nec elationis ineurrat, sicque cognoscimus in profectu quod accepimus, in defectu